



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concor=||dia Discors,|| Sive || Qverimonia Catholicae
Christi || Iesu Ecclesiae**

Lindt, Willem van der

Coloniae, 1583

VD16 L 1926

Oratio Qverimoniae Hvivs Secvnda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34269

ORATIO

QVERIMONIAE HV

IUS SECVNDA.

CAP. 12



LLA igitur, quæ diximus, humanæ doctrinæ fermenta fidei meæ Catholicæ addendo vos, filij mei Protestantes, irreligiose peccatis: quæ autem detrahendo & imminuendo impiè committitis, modò paucis, fauente Christi spiritu, benigni quæso accipite. Quanam, vos obsecro, pietate solemnem illam precandi consuetudinem tam Syrijs, Aethiopibus, Græcis, & alijs Orientalibus, quàm Latinis celeberrimam, S. Trinitas vnus Deus miserere nobis! delitania Christiana præcidisti? An nõ hic aduersarijs meis Trinitarijs fenestram ad sacrilegum suum dogma imprudenter, ne dicam impiè aperuistis? sed maiori tenetur impietate vester pseudo apostolus Lutherus; qui illud Nicenum meum Homouision libro aduersus Iacobum Latomum ann. 34. ædito sibi displicere mente non sancta scripsit.

Quæ fidei detrahendo peccant Protestantes noui. Abolent S. Trinitatis, inuocationẽ de Litania sua semi Christiana. Nicenum Homouision Lutheri non probatur.

Lu

Luxato hoc principe fidei nostræ ca- *CAP. 2^o*
 pite de adoranda sacro-sancta Trinitate *Quòd verã*
 audebat Lutherus & ipsam Euangelicã *Euãgelij iustifi-*
 Christianorum fide prius expiatorũ iu- *ficationem de-*
 stificationem violaturus sacrilegis in- *trahunt pijs*
 uadere manibus. Ea namque filiorum *fideliũ operã*
 Dei, quos fides & Christi Sacramentum *bus.*
 iustos reddidit, cùm ex Christi Euange- *Marci.*
 lio duas habeat partes, fidem & opera, il- *Luce.*
 le contra Dei verbum soli fidei suæ tri-
 buit iustificationem. Rogatus Christus
 Dom. à quodam discipulorum in ipsum
 fide vera credentium, Quid faciendo vi-
 tam æternam possidebo! Si vis ad vitam,
 inquit, ingredi, serua mandata. An hic
 Lutherus Christo ausit solam suam cre-
 pans fidem obstrepere? immò Crede tã-
 tum! Crede tantum! saluus eris? At qui
 iam credebat discipulus ille, mi Homo,
 in Christum; qui credenti bonorum o-
 perum præscribit necessitatem: serua mã
 data inquit, cùm iam crederet in Deum,
 si vis ad vitam ingredi. Huic sententiæ
 conformiter alibi contra inanem, vanã-
 que istam solius fidei iustificationem
 clamat, Non omnis qui dicit mihi Do- *Matth. 23.*
 Domine, sed qui facit volũtatem Patris
 mei, intrabit in regnum cælorum. Rur-
 sus, vos amici mei estis, ait dilectiss. disci-

*Iohan. 15.**Rom. 3.**1. Petrus 1.*

*Lutherus cur
D. Iacobi epi-
stole Canoni-
ca fidem abro-
garit.
Rom.*

pulis in Deum credentibus, si feceritis, quæ præcipio vobis. Sic & Paulus asserit nō auditores legis, sed factores iustificabuntur. Hinc & D. Petrus hortatur vt certam nostram vocationē per bona opera faciamus, tantūm non diserte pronuncians non sufficere ad introitum in illud æternū Christi regnum solam in Christū fidem. Nouo igitur suo dogmati Lutherus vbi sensit D. Iacobū Apostolum omnium disertissimè refragari, atque ex diametro resistere, asserens fidē sine operibus ad salutē non sufficere, imò inutilem, adeoq; mortuā esse, neque Patriarchā nostrum fidelem Abraham sola fide fuisse iustificatum: sed fidem ex bonis eius operibus fuisse consummatā, ad Sathanæ Magistri sui arma cōuersus, more prisorum Hæresiarcharū, Catholicæ iuxta ac Canonice illi epistolæ fidē audebat abrogare, atq; arrepta suæ insanix rabida bipenni de sacro sancto scripturarum Canone præcidere, manibusque sacrilegis detruncare. Neq; consistere hic ipsum cōceptus in pia Christianorū opera furor sathanicus patiebatur. Cū enim noui sui figmenti Deo inuisi nullū sibi solidum reperiret fundamentum, videte obsecro Principes & ciuitatum

tum Imperij Ro. gubernatores, videte.
qua homo infania insigni rabiosus rem
suam agere nō erubuit: nimirū vt apud
imperitā & tunicatam plebeculam vide
retur ex Dei verbo suū statuere dogma

nouum, ausus fuit homo temerarius D.
Pauli verbo ad Ro 3. Sathanicum suum
illud emblemata, Sola, intexere, contra o-
mnium Codicum tā Latinorum, quam
Græcorū, Syrorum & Armeniorū fidē.

*Lutherus cur
verbis D. Pau-
lis addendo e-
pistolam ad
Ro. adultera-
uit, & vitia-*

Arbitramur hominē (peruertit Luthe-
rus) iustificari, Durch dē glauben allein/
per solam fidē. sed amens isthęc D. Pau-
li corruptela sese nullo negotio iugulat,
si ipsum disputationis Paulinæ filū quis
penitus inspiciat, & loca cæterarū eius e-
pistolarū inter se ex priscorū et orthodo-
xorū Patrum Cōmentarijs prudenter cō-
ferat. quod prolixioris foret operæ, quā
huic tempori & loco congruat.

Imparis quidem est criminis, sed paris
audaciæ imò sacrilegi sceleris, quod pu-
blicæ Christianorum meorum Litanix
illum Sanctorum B. Mariæ, Apostolo-
rum, & Martyrum Christi catalogum
audetis detrahere: cū sit meis filijs
tam Armenis, Syris, Palæstinis &
Græcis, quam Latinis, totoque peni-
tus orbe Catholicis concorditer obser-

*CAP. 3.
Quod pie Chri-
stianorum Li-
tanie noui
Protestantes
piam Sanctorū
inuocationem
impieuellū-*

uatus, & piorum omnium ore semper laudatus. Hanc enim Sanctorum ad auxilium & comprecationem inuocandi formam ab ipsis met D D. Apostolis Christianæ fuisse initiò traditam Ecclesiæ, cū alibi fufius sit à meis demonstratum, non est nunc hic repetendum, sed si quis ambigat tamen, D. Augustinum audiat D. Cyprianum illo antiquissimo seculo ante annos iam mille circiter trecentos inuocantem A diuuet nos, inquit lib. vii. capite primo, de baptismo contra Donatist. D. Cyprianus laborantes orationibus suis.

CAP. 4.

^{3.}
Potissimam
Christiani sa-
crificij partē
temerè abo-
lent, esse pro-
pitiatorium:
cū obtineant
esse Euchari-
sticum: quorū
neutrum in
verbo Dei le-
gitur.

,,

,,

Similem in modum sacrilegè mutilastis singulare illud Christianæ Ecclesiæ sacrificium à Christo Do. in cæna illa nouissima iuxta diuina Prophetarum oracula singulari in nos pietate atque paterna charitate nobis institutum. cuius portionem quidem vnam obtinetis, quæ corporis Domini consecrationem apud vos putatur habere: sed potissimam eius partem, quæ Christianā habet Domini corporis immolationem, ac reipsa Euangelicam secundum Dei verbū oblationem, impiè de medio sustulistis, reiecistis, conculcastis. Immò si Apolo-
gia vestra veram vestram exponit do-
ctri-

Arinam, obtinetis sacrificium Missæ, nec quicquã, vt ibi diserte asseritis, in ea immutastis; & Missam aded agnoscitis sacrificium esse Eucharisticum. Sed quanam, obsecro, ratione vobis est sacrificium, quum illud nunquam offeratis? quæ enim verborum formula prophanis vestris in Cœnis fiat à non sacerdote Christi (quales plerique omnes vestri sunt, quos dicitis verbi ministros) isthæc Christiana immolatio? Deinde si verè (vt dicit Apologia fol. 11. b.) ita creditis, Missam esse sacrificium Eucharisticum, cur non creditis, obsecro, & viuus & mortuis Christianis fratribus esse propitiatorium? Atqui hoc nusquam legitur, inquit, in verbo Dei. Ita quidem est: sed vbinam, quæso, legas esse Eucharisticum? Cur hoc ergo magis vos ex Dei verbo obtinere apud Carolum Augustum, & totum aded terrarum orbem gloriamini, quam nos illud? cum neutrum in eo scriptum alicubi reperiatur, nec Eucharisticum nec propitiatorium.

Sic et publicas Ecclesiæ Christi preces pro fratribus hac vita functis impiè repudiatis, & de solemni Christianæ orationis Canone præciditis: cum nulla sit, aut vnquam fuerit, sub sole Christi

”
”
”

Temere iactant Protestantes sua in Apologia sese sacrificiũ Missæ obinere, vt est Eucharisticũ. vbi enim istud legitur?

CAP. 5. Oratio pro fratribus vita functis impiè; sublata, quæ ex Dei ver

L 5 Eccle.



Græcis & Latinis sæper fuit vfiatissima in hunc vsque diem.

Augu. 9. Confession ca. 13. D. Cypria. e. pist. 2. li. 4. & 9. lib. 1.

Lutherus sua in Confessione ann. 44. edita VVittenbergæ for. 8. fol. 54. G. 3. Sic et in articolorum defen.

C. AP. 6.

Numerum Sacramentorum

Ecclesia, que pios vita defunctos fratres suos Deo iudici feuerissimo religiosis precibus, pijsque supplicationibus non comendet. Consulite Græcos, Armenios, Syros & Babylonios, & Iudeos adeo ipsos, agnoscetis vos toto cælo à vero Christo Iesu aberrare Euangelio. Imò D. Augustinum audite, quem pro fidei regula non dubitatis passim agnoscere, an non illa de more populi Christiani solet Deo fundi, quam pro pia sua matre ab omnibus flagitat immolari. Confess. 9. ca. 13. Suffragantur & D. Ambros. orat. in Valent A. Cyprianus eam negat Victori Geminio impendendam. Quibus si fidendum non putabitis, saltem ipsi met nouo vestro Apostolo Luthero, hac in re fidem quin habeatis non potestis reculare. Is enim disertè sua in fidei confessione sub vitæ finem anno 44. in lucem emissa docet licere pro vita functis fratribus orare.

Quinimo sese certè scire purgatorium post hanc vitam esse publicè profiteri in disputatione illa Lipsen. minimè dubitauit.

De numero Sacramentorum à vobis imminuto hic nolo diutius querulari aut quiritari: cum ipsi hac ipsa in Cócordia

dia

dia de illo parum constanter videamini *sacrilegè am-*
 vobismet ipsi constare. Initio enim fol. *putant Prote-*
 C. 4. affirmatis esse tantum duo. Sic *stantes sue fi-*
 enim ad verbum habet vester Concor- *dei inconstan-*
 dię codex, daß nur zwey Sacramēt sein. *ria fluctuan-*
 sicut & in illa nouæ vestræ fidei anno. *tes.*
 60. Naumburgi in Turingia ab aliquot
 Calvinizantibus Theologis vestris cō-
 cinnata Confessione: quam & hic in præ-
 fat. fol. A. 3. agnoscitis & probatis: sed *Concordia an-*
 inferi^o fol. 90. traditis ex Dei verbo tria *no x. edita*
 esse agnoscenda. So sind nu rechte Sa- *sibi contraria*
 crament die Tauf / vnd das nachmael *in numero Sa-*
 des Herren / die Absolution. Den diese *cramentorum*
 haben Gottes befehl. haben auch verheiß- *accensendo.*
 sung der genaden. Sunt igitur vera sa-
 cramenta Baptismus, Cæna Domini,
 Absolutio, hæc enim habent Dei manda-
 tum & promissionem gratiæ, manifesta
 isthac contradictione vos veltro iace-
 tis iugulati gladio.

Verùm hic ego magis de Sacramen- *CAP. 7.*
 torum Ec. Christianæ laboro efficacia, *quod Sacra-*
 quam de numero: quòd illam vos gra- *mentis Chri-*
 uissima cum sanguinis Christi Do. mei, *sti Protestan-*
 sponsiq; chariss. iniuria plus quam iudai- *tes veram de*
 ca extenuatis, imò si verum dicere phas- *trahunt san-*
 est, aboletis, ac re ipsa tollitis. Cùm enim *ctificationem.*
 pro Catholica mea doctrina nouam &
 pere-

peregrinam vestras in Ecclesias inuehat
tis, nimirum esse signa æterna diuinæ
gratiæ, atque fauoris; ipsis veram purgã
dæ à peccatis animæ aufertis efficaciam:
ita vt apud vos baptisatus non minus
pòst, quàm antea, sit ipsa re, ac verè im-
mundus, impurus & sordidus. imo eis-
dem pristinorum peccatorum sordibus
contaminatus. ficta enim fide vestra im-
buti docetis contra disertum Dei verbũ
ea pristina baptisatis manere peccata; sed
in gratiam Christi illa tegi, cæleri, occul-
tari, ac licet persistencia non imputari.
Quonam modo igitur verè dicit Pau-
lus, sanguinem Christi emundare con-
scientias nostras ab operibus mortuis? si
emundat eas sanguine suo Christus, ni-
hil manet sordium, nihil superest impu-
ritatis, nihil baptisatis inheret immundi-
tici. Cui Apostolicæ doctrinæ dum fidẽ
non habent noui vestri Theologi, vide-
te, obsecro, Principes Christiani, quan-
ta sese in Christum impietate contami-
nant.

Hebr. 10.

Isthaec enim ratione Euangelicam Sa-
cramentis Christi ex dimidio tollunt iusti-
ficationem. est enim iustificari ex iniu-
sto iustum fieri; vt illuminari ex tene-
broso lucidum; vt albari ex nigro, aut
colo-

colore impuro album fieri. In iustificatione igitur per Christi Sacramentum nō solum tollitur iniustitia, vt vos quodam modo, sed imperfecto & semieuāgelico agnoscitis, dum tegitur, & (vt vos quidem dicitis) non imputatur: sed vt vera sit iustificatio, datur etiam atque communicato Christi spiritu diffunditur Charitas in corda credentium: quæ vera est Christi iustitia, quæ nos demum verè facit iustos; & Dom. Christo, cui inserimur & incorporamur, verè similes, cælestique spiritu ac iustitia Dei præditos, non quia ille iustus est, inquit August. sed qua nos iustos facit. Hinc pia fluant piorum opera, quæ Dei spiritus verè vocat iusta, vt de operibus Abel iusti verbum Dei apud D. Iohannē Theologum disertè pronunciat.

Hanc solidam Euangelicæ iustitiæ operum gloriam pijs invidentes vestri Theologi, ne Dei verbo imperitis videntur destituti, psalmum Davidis adulterant, illud capitulum, Tibi soli peccavi, audacia deprauantes plusquam sacrilega, Tibi solum pecco, quicquid ago, tibi pecco. Qua de Imperitissima Hebraicæ lectionis corruptela, dictum est a meis alibi. Si omnes igitur omnibus in operi-

*Aug. de Spir.
& lit.*

Opera iusti Abel vere iusta pronunciat

Spiritus sanctus.

1. Iohan. 3.

De his verbi Dei locis à Melanchthone, Brentio alijsque sacrilegè adulteratis vide finē 3. Orationis.

Vide Lindanæ De opt. gen. interpretandâ Scripturâ.

*Sic Lutherus
in articulis à
Leone X. dā-
natis.*

1. Iohan. 3.

2. Par. 15.

19.

*Fides specia-
lis vt loco de-
prauato ver-
bi Dei à Lu-
thero statua-
tur.*

operibus peccamus, & quicquid omnes agūt Christiani, peccant, vti Lutheri habet Euangelium, quo modo igitur Dei spiritus iusti Abelis opera dicit fuisse iusta? Rursus quia in Iuda opera bona inuenta sunt; propter quæ pius Iosaphat commeritam sibi Dei iram euasit, iustasque Dei plagas effugit?

Hæc vt semel euerteret vester Apostolus omnis boni operis hostis, & implacabilis veræ virtutis inimicus, epistolam Diuo Iacobo Apostolo hæcenus ascriptam audet de sacrosancto diuinarū scripturarum Canone abijcere, vt suam nouam & fictitiā posset fidem, quam nouitio suo appellat vocabulo Specialem stabilire. quod monstrum, imò veriss. Idolum cum non haberet vbi firmiter satis statueret, ad suas Sathanicas conuersus artes diuinos Dauidis psalmos aggrediebatur deprauare.

Loco enim illius, Spiritum rectū in noua in visceribus meis, ὀρθοῦ, directum & in viam Dei rectam ab istis humani erroris semitis dirigentem, ac iustificantem, audet temerator improbus pervertere Spiritum certum (gewiß) atque certificantem de salute nostra æterna, & indubios facientem: cum tam multa di-

diuinæ Scripturæ testimonia euidenter doceant nullum mortalium hac de re viuere securum: sed certum fieri vt D. Petrus docet, per bona opera.

2. Petr. 1.

Sed in viam recurrat oratio, quæ occasione locorum verbi Dei à Protestantibus fraudulenter deprauatorum non nihil fortè à recto deflexisse videatur.

Quia igitur fidem Christianam Ec- CAP. 3.
clesiæ Dei Catholicæ concorditer ab Apostolis vbiq̃ue traditam cum addendo impiè, tum detrahendo sacrilegè violastis, alterastis, immò adulterastis, salua vobis stare nequit fides Christiana tot doctrinæ capitibus temere aucta; tot dogmatibus sacrilegè imminuta, tot fidei articulis irreligiose admodum detruncata.

Itaque Confessione vestra Augustana cum impio Achab totum perturbastis Israelè, qui antea vnus erat vt fidei, ita & Confessionis, siue symboli, nunc grauissimè vestro impij schismatis exemplo vniuersus gemit & laborat orbis meus Christianus. Videt enim tot sua nobilissima sibi mēbra vestro dissidio auulsa: tot regiones celeberrimas inuicè irreconciliabiliter, plurimos per annos dis-

fiden-

sidentes; tot prouincias bellis intestinis
 sese suis manibus crudelissimè contru-
 cidantes, fraternoq; sanguine impie con-
 taminantes; dum vestrum singuli suam
 quisque nouæ fidei Confessionem pro
 vero sibi arrogant Euangelio; & mentis
 cæcitate percussi suam quisque non du-
 bitant pro sacrilegis dogmatibus & pro-
 phanis suis ceremonijs vitam belli fune-
 stissimi periculo exponere, armaque in
 suos Reges & Principes arripere. Viden-
 dum ergo superest vobis, Principes &
 Ciuitates Protestantes, vt ne cum impio
 Achab Israelem perturbante similes cū
 eo perfidiæ vestræ luatis pœnas, simul
 & irreligiôsæ inconstantia in religione
 Christiana, quas ipsi videtis nunc pro-
 uincias Syriæ, Græciæ, Asiæ, vicinæque
 vobis nimium Constantinopolitanæ,
 adeoque Hungaricę ditionis miserrimo
 exemplo luere. Quod omen Deus vo-
 bis auertat propitius! hic si libet, inter-
 quiescamus, vt animus nō nihil placida
 quiete recreatus consequentia suauiori
 capiat gustu, vnde factas vobis vestris à
 Theologis fraudes dolosas, non minus
 quam exitiosas in tempore, dum hora
 resipiscendi est, euidenter perspiciatis.

TER-